

3. Gaufried von Auxerre, Predigt

Troyes, Bibliothèque Municipale Cod. 503 fol. 126v.

*Viri Galilei, quid admiramini aspicientes in celum?*¹⁾ Ego hodie vobis vereor magis esse dicendum: Viri vestre transmigracionis obliti, quid non admiramini aspicientes in celum? Si tamen viri et non pocius parvuli aut mulieres. *Faciamus nobis, karissimi, vasa transmigracionis cum Iezechiele et cum Ieremia*²⁾. *Ficus, ficus bonas, bonas valde intelligamus transmigracionem, quam emittit dominus de loco isto*³⁾, *malas et malas valde remanentes in urbe hac et terra Egipti*⁴⁾. Exeuntes de Egipto transeamus per mare rubrum in amaritudine conpunctionis et rubore confessionis, ut sint *aque pro muro a dextris et a sinistris*⁵⁾ contra vanam spem et desperationem. Transeamus et *solitudinem*, ubi est *serpens flatu adurens et scorpius et dypsas*⁶⁾. *Per multas enim tribulationes oportet intrare in regnum dei*⁷⁾. Hic moriatur omnis generatio, que introiit, ut melius mores mutemus. Soli vivant Iosue salvator et Caleph⁸⁾ quasi cor⁹⁾, amor proximi et dei¹⁰⁾. Nam et illi non nisi ad salutem amandi, et ex hoc vita procedit. Tercio transeam aquas dulces, quia dulcis ingressus in terram promissionis. Hic transitus in contemplatione consistit. Jordanis dicitur descensus eorum, ut apud nos descendentes dicamus: *servi inutiles sumus*¹¹⁾. Sic *humilibus datur gratia*, et ad eos respicit *deus*, qui *superbis resistit*¹²⁾. Descendunt inferiores aque¹³⁾, consolationes videlicet huius vite per contemptum et considerationem, finis earum in mare mortuum. Superiores ascendunt delectationes dextere¹⁴⁾, ut appareant a longe a civitate, que vocatur Edom, quod non interpretatur, inconprehensibilem indicans beatitudi-

¹⁾ Act. 1, 11 (... quid statis aspic.).

²⁾ Ezech. 12, 3; Jer. 46, 19.

³⁾ Jer. 24, 3 u. 5.

⁴⁾ Jer. 24, 8.

⁵⁾ Exod. 14, 29.

⁶⁾ Deut. 8, 15.

⁷⁾ Act. 14, 21.

⁸⁾ Vgl. Num. 14, 30.

⁹⁾ Isidor, Etymol. VII, 6, 52: Caleph quasi cor.

¹⁰⁾ Vgl. Matth. 22, 37—39; Marc. 12, 30 f.; Luc. 10, 27.

¹¹⁾ Luc. 17, 10.

¹²⁾ Jac. 4, 6; 1. Petr. 5, 5.

¹³⁾ Vgl. Josue 3, 16.

¹⁴⁾ Vgl. Ps. 15, 11.